



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Litterarum Dimissorialium pro prima Tonsura Formula I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Constitutionibus, aliisque de jure servandis, infra scriptos ad minores, & majores Sacros Ordines ritè promovit, & ordinavit, videlicet

Ad primam Clericalem Tonsuram.

N. N. & N. N.

Ad Ostiariatus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Lectoratus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Subdiaconatus Ordinem.

N. N.

N. N.

Ad Presbyteratus Ordinem.

N. N.

N. N.

Prout latius ex libro Ordinandorum in hac Cancellaria legaliter retento constat. In quorum fidem &c. Datum &c.

Ità est N. Cancellarius Episcopalis N.

T I T U L U S I V .

De Litteris Dimissorialibus, Commendatitiis, & Testimonialibus.

Litterarum Dimissorialium pro prima Tonsura.

F O R M U L A I

S U M M A R I U M .

- 1 In Regno Neapolitano Dimissoriae diriguntur ad certum Episcopum.
- 2 Dimissoriae, ut quis possit promoveri à quocunque, non sunt concedendae sine justa causa.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

Dilecto Nobis in Christo &c.

UT tu, qui legitimis es procreatus natalibus, Sacramento Chrismatis delibutus, bonis moribus ornatus, fidei, legendi, & scribendi erudimentis imbutus, & ætate legitima constitutus, à quocunque Illustrissimo, & Reverendissimo D. Antistite ritè, & canonicè promotus, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente, quem idè adire malueris, ad primam Clericalem Tonsuram

ram initiari, eandemque recipere possis, & valeas, *attenta nostra absentia à Diœcesi, tenore presentium, licentiam concedimus in Domino, & impertimur. In quorum &c. Datum &c.*

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Secretarius.

ADNOTATIONES.

A QUOCUMQUE. Dimissoriae ut quis à quocunque Antistite possit ordinari, non conceduntur ordinandis Regni Neapolis, sed illuc debent concedi directæ certo Episcopo juxta Decretum Gregorii XV. emanatum de anno 1623. de quo mentionem fecimus in Edicto pro ordinatione habenda, & illud refert Nicol. lucubr. can. lib. 1. tit. 11. de tempor. ordin. num. 34. ubi n. 37. & 38. decimum testatur, quod hoc Decretum non comprehendat Regulares, neque ordinatos in Sacris vigore Brevis, neque exteros, qui possunt ab Episcopis Regni ordinari cum Dimissoriis suorum Ordinariorum, licet non sint directæ ad certum Episcopum.

2. **ATTENTA NOSTRA ABSENTIA.** Litteræ Dimissoriales cum facultate promovendi à quocunque concedendæ sunt ex justa, & rationabili causa, quæ debet exprimi in ipsis litteris, ut mandat Concil. Trid. cap. 11. sess. 7. de reformat. & monet Piaſec. prax. Episc. par. 1. cap. 1. art. 2. num. 12. & 17. Hic autem in formula

exprimitur causa absentiae, quæ legitima reputatur, Barbol. in Sum. decis. Apostolic. collect. 155. n. 3. verb. Dimissoria, & collect. 254. n. 4. Passerin. in cap. cum nullus n. 137. de tempor. ordin. in 6.

Litterarum Dimissorialium absenticoncessarum.

FORMULA II.

SUMMARIUM.

1. Dimissoriae pro Ordinibus minoribus apertius conceduntur cum clausula -- Episcopo N. ordinationes tenente, quam cum alia -- Pontificalia exercente.
2. Dimissoriae debent concedi ad tempus.
3. Absentibus per longum tempus conceduntur Dimissoriae absque morum testimonio.
4. Dimissorias absentibus non arctatis Episcopus non compellitur concedere, & n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Quid virtute, & scientia præditis?

N. Episcopus N.

Dilecto &c.

UT tu à nostra Diœcesi studiorum causa absens, qui legitimis es procreatus natalibus, morum probitate ornatus, ætate legitima, ac in Clericali Tonsura constitutus, nulloque, quod sciamus, Canonico impedimento, quo minus ad Ordines promoveri possis, reperiris detentus, ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. N. in propria, vel aliena Diœcesi, de Ordinarii loci licentia, Ordinationes tenente, ad Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus minores Ordines promoveri possis, & valeas (dummodo quoad litteraturam idoneus reperiaris; super quo conscientiam

G 4 Ordi-